Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2051
Quelle:
Copyright:

pretatur. Magna hic aquae virtus in omnia tribuitur, atque inter alia *c. ult.* ubi de ejus circulari per humanum Corpus motu sequentia leguntur: *Also feiret auch das wasser in des Menschen leib gar nit, sondern hat in gannzem leib, seinen augenblicklichen lauff, und fueret alle ding, so ir Ambt im leib verricht, wider zu den lufftlöchern heraus, in den blasen, und volgents stundtlich gar aus dem leib, das gehet also scheibligs im Zirkel herumb, als lang der Mensch lebt.* An hic ante *Harvaeum*, post *Servetum* tamen, ad *sanguinis* per corpus *circulationem* adludatur, Aesculapii filiis dispiciendum relinquimus.

DXXXVIII.

893 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 3. f. continet Scriptum *Davidis Joris* sive *Georgii* noti hominis fanatici *Delphensis ad D. a Lasco de resurrectione.* Est istud, ut videtur, tantum Excerptum; adducuntur enim et aliorum *Davidianorum* de eadem Resurrectione Somnia et inter cetera cujusdam dicti *Huch Jans de Shellyng Weerck.* Interim ad calcem legitur: *Halleluia. 25 Maij. ann. 1544. Finis maioris epistolæ Dauidis ad D. a Lasco.* Epistola haec igitur *Basileae* scripta est, ubi se mense *Aprili* h. a. *David* cum familia et adseclis quibusdam insinuaverat coemtis fundis in *Johannem de Bruck*, vel *de Binningen* mutatus, ut *Basileensis* Studiorum *Universitas* narrat Relatione vernacula titulo: *Dauid Georgen ausz Holand dess Ertzkützers warhafftige bistori* &c. ibi a. 1559. 4. edita, quo anno Viri corpus exhumatum una cum Libris et Icone ejus picta per carnificem crematum est. In hac Relatione inter erroneas ejus opiniones recensetur etiam illa, quae Scripti nostri argumentum est, videlicet: Christum, ut ceteros omnes, secundum carnem abivisse in viam universae carnis, id est, perpetuae mortis corporalis, sed filium illum Dei, qui in illo extitit, conscendisse ad dextram patris secundum spiritum, et nunc in se, *Davide*, perfectiorem rediisse ad secundum judicium; et qui sunt ejusmodi horrores. Scripti initium est: *Ne arbitrare mi dilecte, quod nos, qui viuimus, aliud externum corpus induere debeamus* &c. De *Joh. de Lasco* dictum est saepius, ut ex *Indice* liquet.

DXXXIX.

Codex chartaceus lat. Sec. 400
XVI. Folior. 76. 4. continet Somnia Hominis fanatici et inepti temere in chartam conjecta de Utriusque Reipublicae, maxime vero Sacrae Reformatione, quorum Elenchum in calce positum delibabo: *Ad christianissimum et inuittissimum romanorum &c. regem ferdinandum. Ad omnes gentes colloquium. Ad illustrissimos christianorum omnium oratores. Ad homines*